

Montisburgi, et filios nostros W. priorem, et monachos S. Cosmæ de Ecclesia Morsalinarum facta est, fraternitatem nostram noveritis confirmasse, videlicet ut monachi Montisburgi duas partes decimæ frugum de omni terra quam habent monachi S. Cosmæ in Morsalinis habeant, et teneant, et in recognitionem x solidos Andegavenses vel Rothomagenses priori et monachis S. Cosmæ annuatim reddant. Ipsa vero ecclesia, et impositio sacerdotis, et ea quæ ad altare et cœmeterium pertinent, priori et monachis S. Cosmæ libere et quiete remanebunt. Ut autem hæc conventio inter ipsos rata et inconcussa maneat in æternum, sublimitatem vestram deprecamur, ut chartam vestram eis inde faciatis, et eorum concordiam auctoritate vestra confirmatis. Valeat paternitas vestra.

IV.

Alia charta ejusdem Petri abb. super eadem ecclesia.

Venerabili et dilecto nostro domno WILLELMO ab-

A bati Montisburgi, omnique conventui, frater P. humilis Clun. abbas salutem et orationes.

Litteras dilecti filii nostri Willelmi prioris S. Cosmæ vidimus et audivimus. Concordiam vero quæ inter abbatiam vestram et ecclesiam S. Cosmæ de ecclesia Morsalinarum facta est, fraternitatem nostram noveritis confirmasse, videlicet ut duas partes decimæ frugum de omni terra quam habent monachi S. Cosmæ in Morsali in perpetuum habeatis, et teneatis, et in recognitionem x solid. Andegav. vel Rothomag. priori ejusdem loci reddatis. Ipsa vero ecclesia, impositio sacerdotis, et ea quæ ad altare et cœmeterium pertinent, priori S. Cosmæ et monachis libere et quiete remanebunt. Ut autem hæc conventio rata et inconcussa maneat in æternum, præsentes litteras sigilli nostri auctoritate munitas vobis destinare curavimus. Valete.

B

PETRI VENERABILIS

ABBATIS CLUNIACENSIS NONI

EPISTOLA AD PETRUM DE JOANNE

Contra eos qui dicunt Christum nunquam se in Evangelii aperte Deum dixisse.

Bono et pacifico seni, fratri et filio PETRO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Paucis admodum transactis diebus, dum tecum more meo, de quibusdam non ex toto superfluis conserrem, nescio unde occasione sumpta, sermo incidit de Salvatoris deitate. Quem dum ad alia, et ipsa utilia tendens, cito finire proponerem, audivi a te, quasi transeunter, quod non transeunter accipi. Dixisti te a quibusdam fratribus, et, ut tunc mihi visum est, ab ipsis sociis lateri meo adhærentibus audisse Salvatorem nusquam in Evangelii se aperte, hoc est sine involucris, Deum vocasse. Ad didisti etiam eos, non negligenter, sed intente ac diligenter totius evangelici textus seriem, haec de causa scrutatos fuisse, nec alicubi hoc se legere potuisse. Et quamvis fratres illos, a quibus ista audieras, nec tu mihi nominaveris, nec ego qui essent, querendo perstiterim, quia tamen, etsi inutilis opilio, vultum pecoris mei non ex toto ignoro, credo eos qui hoc dicunt, non trahi infirmitate fidei, sed amore ac studio hactenus ignorata sciendi. Nam quoscunque apud me recolo, qui de his vel similibus tractare, discutere, vel solvere aliquid possint, litteratos scio,

C exercitatos video, religiosos agnoseo. Unde absit a me ut aliquid sinistri, maxime in talibus de ipsis suspicer, quos et eruditio doctos, et gratia, quæ in ipsis hactenus vacua non fuit, ut saepe expertus sum, tam in fide quam in vita, solet semper reddere cautos. Sed quia semel sermo ortus est de re super omnia saluti nostræ necessaria, justum est, prout mihi videtur, exsequi quod inde sentio, ne forte si neglectum fuerit quod auditum est, dubietas aliqua in aliquorum cordibus, ut solet in talibus contingere, oriatur. Utiliusque fuisse quam deductam in medio indiscussam reliquisse. Notum est, nec aliquem in talibus exercitatum latet, communem et publicum hostem Satanam, ne a mortalibus vera deitas, aut agnosci, aut coli posset, summo semper nisu, toto conamine laborasse, et non solum tempore gratiæ, non solum tempore legis Mosaicæ, sed et ab ipso primorum hominum exortu, ad evelendam de humanis cordibus fidei sinceritatem, semper acerrime instituisse. Inde est quod ante famosum diluvium, illo, qui primus cœpit invocare nomen Domini (Gen. iv), cum paucis ex eadem stirpe sequentibus excepto, et post us-

D

que ad Moysi tempora, præter quosdam magnos et notos patriarchas, jam extincta apud miseros mortales summi ac veri Dei notitia, tetris multiplicium errorum tenebris obvolutus totus orbis horrebat. Succedente deinceps tempore, misera majestas summa percuntis creaturæ, largiorem quidem solito benignitatem, dando legem Judæis, ostendit. Sed, sola illa gente ad veræ Deitatis cultum vocata, alias universas in erroris jam antiqui fæce reliquit. Tandem non ultra in ira sua continens misericordias suas (*Psal. LXXVI*), misit Filium suum, effudit Spiritum suum, et non jam partim aliquas, sed quidquid usquam gentium est, ad unius Dei universorum auctoris et rectoris agnitionem largissima miseratione vocavit. Hunc veritatis splendorem, quia nec primo, nec medio, nec ultimo tempore obscurare ex toto nequam ille potuit, quantum a moderatrice omnium Deitate permisus est, impugnare non cessavit. Claret hoc ante Salvatoris adventum, in prophetarum infestationibus, quos ipse magnus Apostolus ludibria, verbera, vincula; et carceres expertos, lapidatos, sectos, tentatos, egentes, angustiatos, afflictos, in occidente gladii mortuos non tacet (*Hebr. xi*). Apparet et inde maxime quod Christianæ gratiæ diebus, quamvis fortis victus a fortiore, quia arma sua auferri, et spolia distribui a victore cernebat, orbem sere totum contra veræ Deitatis agnidores commovit. Inde est quod non solum multorum millium, sed et innumerabilium legionum Christianorum saero cruento totius terræ superficiem pessimus et pertinax persecutor respergit. Quo nec sic prævalente, imo multo magis tot mortibus veræ fidei agnitione crescente, quod manu hostili non potuit, fraterno explere schismate attentavit. Excreverunt ea de causa ab illo suscitat diversorum nominum, et sectarum errores, unicam spem humanæ salutis auferre conantes. Incidebant quidem vario ac devio tramite, sed ad eundem finem conversæ pene tendebant, et aut cum phantastico, ut Manichæi, aut cum vero, ut Ariani, Christi corpore, veram Christi deitatem negabant. Non curabat Satanus quidquid quolibet tempore de Deo homines opinarentur, tantum una vera, et sola salvans deitas negaretur. Hoc se solummodo querere, ad hoc se tantum niti luce clarius demonstrabat, quoniam et ante Christum et post, pro multorum et falsorum deorum dearumque cultu, contra unius et veri Dei cultores tam acriter et constanter pugnabat. In illis enim humanam perniciem amplectebatur, in hoc humanam salutem persequebatur. Utitur adhuc eodem astu; et cum penè medianam orbis partem Saracenis mediantibus occupaverit, docet eos Christum sic prædicare omnium meliorem et maximum, ut tamen prorsus denegent Deum. Hanc falsam deorum pluralitatem contra veram unius deitatem, sicut ab ipsa paradiiso incipiens induxit, primis hominibus dicendo: *Eritis sicut dii* (*Gen. iii*): sic in fine perficere molitur, quando per vas illud perditum, quod singulariter possessurus est, hoc est An-

A tichristum, adversabitur et extollebitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus (*II Thess. ii*). Infelix vere, et æternaliter projectus a facie Dei, qui longissimæ nequitiae merito indurabitur sicut lapis, et stringetur quasi malleatoris incus (*Job xli*); in tantum insanus et cæcus, ut qui statim ut factus est, dixit: *Ero similis Altissimo* (*Isa. xiv*), mox in immane chaos infernalum putei submergendas dicat: *Ero major Altissimo*. Quorsum hæc? Ut advertat lector eo certius intelligendam, eo firmius retinendam veram Christi in Christo deitatem, quo magis eam hostis veretur, quo magis persequitur, quo magis eam Christi fidibus et servis semper auferre molitur. Non ignorat plane ille nusquam nisi in Christo hominis constare salutem. In ejus utique deitate a qua salvatur, et ejus humanitate per quam salvatur. Unde non curat, ut dictum est, quantumcunque sublimia de Christo homines sentiant, tantum verum Dei Filium et Deum non credant. Nam remota ab illo divinitate, quid plus salutis posset homini conferre Filius hominis, quam quilibet alter filius hominis? Jam absque dubio non religiosum, imo sacrilegum esset, quemquam in illo ponere spem salutis, qui, deitate semota, nec Salvator dici posset, nec quemlibet salvare valeret. *Maledictus enim*, ut ait Scriptura, *homo qui confidit in homine, et ponit carni brachium suum* (*Jer. xvii*). Hoc veneno corruptor humanæ naturæ, illos, quos superscripsi, moderni temporis Saracenos, et imbuit, et infecit, dum eos Christum, et natum de Virgine, et missum a Deo, et Verbum Dei, et Spiritum Dei, juxta suum intellectum, prædicare docuit, sed illum nec Deum esse, nec mortuum persuasit. Advertebat enim impius, alia universa frustra credi, frustra prædicari, fide deitatis ac mortis Christi in cordibus humanis extincta, nihilque jam salutis superesse mortalibus, quos nec deitas Christi salvaret, nec mediatio carnis assumptæ redimeret.

B C D Jam, ut ad id redeam propter quod ista præmisi, respondeat auctoritas vel dubitanti, vel quærenti utrum Christus absque involueris, aut aliquo tegmine se Deum nominet, et ubi hoc in Evangelii scriptum legatur. Videntur enim mihi inde maxime moveri ista quærentes, quod ita perspicue, ita solemniter Christum, vel discipulis, vel Judæis loquentem se Deum vocare in Evangelii non legunt, sicut in Heptatico frequenter audiunt, ut et illud in Genesi, loquente Deo patriarchæ Jacob: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac. Terram, in qua dormis, tibi dabo, et semini tuo* (*Gen. xxviii*). Et rursum idem alibi: *Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere, et descendere in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi* (*Gen. xlvi*). Et in Exodo: *Locutus est, inquit, Deus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis* (*Exod. xx*). Et paucis interpositis: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in*

Filiis in tertiam et quartam generationem (Exod. xx), et multa in libris illis similia in hunc modum. Et quidem exempla et testimonia, quibus de vera Christi deitate libri tam Veteris Testamenti quam Novi respersi sunt, in medium producere superfluum judico, quia fideli, quia docto, quia his assueto loquor. Plurimam in propheticis quam in apostelicis litteris leguntur, immumera insuper tam Græcorum quam Latinorum, aliarumque gentium volumina veræ Christi deitati verax testimonium ferentia reperiuntur. Sed prohibet illa producere causa proposita. Quia non queritur nunc utrum Christus Deus sit, sed utrum se ipse Deum dixerit. Nam si hoc in quaestione, ut olim, versaretur, pateret nobis multiplicum responsionum campus immensus, et pelagus Scripturarum vere deitatis Christi testimenti exundans, levi negotio nobis per Dei gratiam deesse non posset. Nec mihi multus super his, etiamsi ad hæc idoneus essem, labor instaret, quoniam lectorem non ad mea super his scripta legenda invitarem, sed ad magna Patrum volumina quondam de istis ab eis condita, statim transmitterem. Istud, quoniam ad rem de qua agitur, omnino non spectat, ad id sermo redeat, cur Salvator, sicut his, quos præmisi, vietetur, non se more illo in Evangelii Deum nominat, quo in veteribus, ut præmissum est, litteris vocat. Et ne diu suspensum lectorem teneam, hoc absque præjudicio verioris ac clarioris sententiae dico : Deum quidem Dei Filium propheticæ voces, de Judæorum stirpe carnem sumpturum, ac de sacra Virgine, tempore ante sæcula præordinato, nasciturum frequentissime prædixerunt, et ea quæ prædixerant scribendo posteris reliquerunt. Non potuit tamen Judaicus animus tanti sacramenti, tam singularis rei capax existere, nec summam majestatem ad hæc insima et mortalia quandoque humiliari, aut velle, aut posse senserunt. Metiti [mensi] sunt immensæ illius majestatis altitudinem ex proprii cordis superbia, illumque inexhaustæ bonitatis fontem, ex insita humanis pectoribus non tam naturali quam corruptæ naturæ duritia. Hoc plane, hoc tam Judæis quam cunctis superbis communi fuit, hoc ad credendam susceptæ a Deo carnis dispensationem obstitit, quia nec humiliari usque ad humana in se suscipienda aliquando Deum posse suscipiunt : imo hoc vel fateri, vel sentire, ut nefas maximum refugerunt. Senserunt Christum a prophetis prædictum, non quidem Deum, sed regem magnum, aliis Judaicæ gentis regibus multo maiorem, longe potentiores, longe sapientiores, longe justiores futurum, latius cunctis præcedentibus regibus imperaturum, et more non divino, sed humano, in terra tantum, non in cœlo et terra, ut universorum Dominum regnaturum. Hunc eorum intellectum, hanc pene totius gentis illius opinionem Sapientia Dei, jam carne induita non nesciens, descendit mentibus infirmis, et sicut lacte carnis susceptæ, ante solidum deitatis cibum eos lactare voluit, sic paulatim, non subito, nec velut ex

A insperato, eis latentis in homine veræ suæ deitatis notitiam insudit. Et quia Sol erat, et vera illa lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. i), noluit lumen immensi fulgore ægros mortalium oculos subitus apparet obtundere, sed nube carnis opposita, sobrietate verborum prætenta, ad speculandum, et suo tempore pervidendam hactenus ignoratam mortalibus deitatis lucem, spiritualem eorum intuitum confovere. Ea de causa, non ut primo tempore fecerat, se statim ut prædicare cœpit, solemni illo more Deum vocabat, sed ægris medicus pro tempore se conformans, ac velut inductionibus, vel insinuationibus utens, a minoribus ad majora eos gradatim erudiens promovebat. Formabat ita verba, ut inquantum non B solum veracem, sed et ipsam veritatem decebat, et scandala infidelium temperaret, et fidelibus atque intelligere valentibus, non minus quam tempore legis Mosaicæ se Deum clamaret. Hinc est quod, juxta Matthæum, congregatis Pharisæis interrogavit eos quid eis videretur de Christo, cuius filius esset. Illisque respondentibus : *David*, statim subjunxit : *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis? Si ergo David in spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* (Matth. xxii.) Sed quid illi ad ista? Evangelista non tacet : *Nemo, ait, poterat respondere ei verbum* (*ibid.*).

C Vides, lector, quare non poterant respondere ei verbum? Hic plane, hic claret sole clarius quod præmisi. Nomen cernis aperte quod Messiam, id est Christum præmissum sibi nunquam gens illa, præter quosdam magnos et paucos, Deum animadvertisit, Deum sensit, Deum esse credidit? Non poterant Pharisæi jam dicti, licet legis doctores, respondere ad interrogata verbum, quia Christum nec senserant, nec intelligebant Deum. Hoc enim solo respectu, hoc certe et non alio, poterat dominari David Christus filius, non quia erat homo sicut ille, sed quia erat Deus, quod non ille. Cesserat huic prærogativæ humanus usus, et paterna dignitas in hoc uno, et solo Dei Filio defecerat, quia non solum David juxta carnem, sed etiam Dei secundum deitatem erat Filius, utique et ipse Deus. Hoc Pharisæi, D licet in lege saepè legerent, sed non inteligerent, non poterant præpositæ quaestioni nodum solvere, non poterant verbum quodlibet rationabile responderem. Ea de causa silentium elegerunt, ea de causa respondere non potuerunt. Nonne ergo tibi videtur, absque tegmine; absque involucris, sicut præmiseras, Christum se in hoc loco confessum Deum? Confessus est plane se Deum, sed ita ut, sicut dictum est, et scandalum infirmorum nondum tam sublimia capientium vitaret, nec intelligere valentibus quod Deus esset cœlaret. Inauditum enim hoc erat apud homines, et ab intellectu communis adhuc omnino abhorrebat aliquem mortalium, vel sentire, vel credere Deum. Ostendit hoc et ipse publicus error, quo largissimo tempore orbis pene totus, et

obrutes, et oppressus est. Nam licet quosdam hominem, unius et veri Dei apud homines intellectu cultuque amisso, error jam dictus post mortem deficasset, eosque deos fuisse, et credere, et credi voleisset, nullum tamen eorum, dum viveret, auf Deum eredit, aut credi voluit. Nam nec Saturnus, Jupiter, Mercurius, aut Mars vel Juno, Venus aut Minerva, et innumeri alii aliæque, dii vel deæ dum viverent, crediti sunt; sed eis jam e vita casu diverso subtractis, diuinus honor ab hominibus longe a facie Dei projectis exhibitus est. Causæ, quibus rationabiles hominum mentes tam irrationaliter stultitia falli vel fallere potuerunt, ut tam leviter et absurde deos ex hominibus factos crederent, studiosis lectoribus in promptu sunt. Quod, quia ad rem propositam non pertinet, transeo. Nam constat quod viventibus jam dictis non diis, sed pestibus humanis, nullus eis ab hominibus divinitatis cultus impensus est. Legitur solus Alexander, Persis jam et Medis atque ipsis Indis cum ultimo Oriente subiectis, in tam vanam et insanam prosiliisse superbiam, ut divinos sibi honores exhiberi partim suaderet, partim cogeret; et quosdam non acquiescentes, sed irridentes, ut Calisthenem philosophum cum quibusdam aliis, etiam prius tortos necaret. Abhorrebat enim, ut jam dixi, et semper hoc abhorruit humanus animus, non serens dici deos, quos homines cernebat, nec altitudinem divinam humilitati humanæ posse congruere aestimabat. Quam deitatem, licet, ut dictum est, post eorum mortem eis inesse credidissent, nullatenus tamen, dum viverent et cum eis conversarentur, hoc sentire vel credere potuerunt. Hoc vero fortassis, quia quodam humano more, licet errore magis affici solet plerunque animus et moveri ad admirandum, aut honorandum absentes quam præsentes, mortuos quam viventes: quia apud hujusmodi mentes vilescere solent præsentia, et magis optari et amari absentia. Hic mos et apud paganos legis divinæ expertes erat: nec Judæis eadem sacra lege instructis deerat.

Hujus Salvator conscius, eo loquendi genere verba Deitatem ipsius humanis intellectibus commendantia temperabat, ut sicut dixi more sapientis magistri mentibus, aut nullius, aut pusillæ fidei eorum, quantum decebat, fugiendo scandalum, consuleret, et claris intellectibus, nihil de suæ deitatis veritate subtraheret. Hoc indicant lucide et verba illa ipsius, quibus in festo Encæniorum, id est Dedicationis templi, ambulans in portico Salomonis Judæos allocutus est. Nam tunc eum ipsi circumdantes dicebant ei: *Si tu es Christus, dic nobis palam* (Joan. x). Quibus ille non statim respondit: Christus ego sum, sed dixit: *Loquor vobis, et non creditis. Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me* (ibid.). Quod testimonium? Testimonium quod Christus esset, testimonium quod Dei Filius esset, testimonium quod Deus esset. Nullum enim horum ab altero separari poterat. Nam si Christus erat, necessario et Dei Filius. Si Dei Filius, necessario et

A Deus. Christus enim non Judaico sensu homo purus, sed vero et Christiano intellectu, homo simul erat Dei Filius et Deus. Nam a prophetis talis praedictus est, ab apostolis talis praedicatus est. Talem se et ipse in his propositis verbis ostendit, talem absque dubio declaravit. Apparet hoc, et perspicue approbatur quod se Christum confessus fuerit, quando jam dictis Judæis dicentibus: *Si tu es Christus, dic nobis palam*, respondit: *Loquor vobis, et non creditis*. Tunc plane, licet hoc nomen, quod est Christus, tacuerit, Christum se intelligi dedit, quando, ut dixi, interrogantibus respondit: *Loquor vobis, et non creditis*. Nam quid est aliud loquor vobis, et non creditis, nisi loquor me Christum, et non creditis? Quod vero et Dei Filius esset, verba subjuncta probant. *Opera*, inquit, *quæ ego facio in nomine Patris mei* (ibid.). Nec enim Patrem suum Deum diceret, nisi et ipse Dei Filius esset. Quod vero et Deum se probaverit, indicant et illa opera; de quibus operibus testatus est: *Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me*. Non enim erant opera illa humana, sed divina. Imo, ut clarius dicitur, non erant, vel esse poterant tantum hominis, sed Dei simul et hominis, et quia Dei, idcirco hominis. Non erat plane ipse Christus, ut illi de quibus legitur: *Nolite tangere christos meos* (Psal. civ), sed erat Christus unctus, juxta hominem, a Deo, oleo exsultationis præ consortibus suis (Psal. xliv). Non erat Dei Filius, ut illi de quibus scribitur: *Filios genui et exaltavi* (Psal. i), nec ut illi de quibus apostolus Joannes: *Charissimi, filii Des simus, et nondum apparuit quid erimus* (I Joan. iii). Non erat, inquam, Dei Filius, ut illi per gratiam, sed erat Dei Filius per naturam, teste ipso Patre, et de cœlis clamante: *Hic est Filius meus dilectus* (Matth. xvii). Et quia per naturam erat Dei Filius, utique, certa ratione cogente, erat etiam Deus. Non enim poterat ex essentia Patris gigni, aut procedere, nisi quod erat ipse. Et ideo ex Deo genitus erat, veritate indubia cogente, et Deus. Huic ejus deitati opera, quæ faciebat, verax testimonium ferebant. Nam non erant ejus opera similia operibus hominum, non erant ejus miracula paria propheticis miraculis. Non erant certe paria, quia longe excellentius erant majora. Miranda quidem opera, et miracula quamplurima fecerant ipsi, sed ut homines, quod datum fuerat, erogabant, nihil ex se faciendo, sed quæ faciebant a Deo precibus impetrandō. At ejus opera non ex aliena, sed ex propria procedebant virtute, utpote, qui nihil precibus, ut alterius egenis auxilio, operabatur, sed totum quod aut in spiritualibus, aut in corporalibus remediosis mortalibus impendebat, majestatis potentia largiebatur. Hoc modo opera sua, vel miracula ab aliorum hominum operibus, vel miraculis secernebat, non solum ipse faciens, ut Deus, quæ voluit, sed etiam aliis eadem, faciendi potestatem largiens, prout voluit. Perhibebant ergo tali modo opera ejus testimonium de ipso, quod Christus, quod Dei Filius, quod Deus

esset : et hoc etiam ipso tacente non obscurius quam loquente, Judæis, gentibus, cœlo quoque et terræ clamabant.

His et similibus verbis, ut supra dictum est, et deitatis suæ veritatem intelligere valentibus clarissime commendabat, et ne subitus fulgor insirmos adhuc illorum illius temporis hominum intellectuales oculos magis obscuraret quam illustraret, eadem sua verba modis congruentibus temperabat. Hoc idem et totus sequentium verborum textus indicat, qui talis est : *Sed vos, inquit, non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me; et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea (Joan. x).* Cujus enim voces istæ esse possunt, nisi Dei ? Cujus, nisi illius, qui per prophetam antiquum dixerat : *Ecce ego ipse requiram oves meus, et visitabo illas sicut visitat pastor gregem suum ? (Ezech. xxxiv).* Cujus vox esse poterat, nisi Dei, *Ego vitam æternam do illis ?* Cujus vox esse poterat, nisi Dei, *Non peribunt in æternum ?* Cujus vox esse poterat, nisi Dei : *Non rapiet eas quisquam de manu mea ?* Quis enim vitam æternam dare potest suis, nisi Deus ? Quis, ne perireant in æternum, salvare, nisi Deus ? Quis tam fortis, ut nemo possit eas cripere de manu ejus, nisi Deus ? Vides, lector, quam clare sub ovium nomine se Deum illum fatetur, qui vitam æternam suis dat, qui ne in æternum pereant salvat, de cuius manu, hoc est de cuius potestate, nullum suorum posse rapi, nullum alienorum posse rapere affirmat. Sed procede, et lege reliqua : *Pater meus quod dedit mihi maior omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei (Joan. x).* Et statim : *Ego et Pater unus sumus (ibid.).* Quid clarius dicere potuit, unde se verum Deum probaret ? Si quod Pater ei dedit, maior omnibus est, quod utique dedit non largiendo, sed gignendo, quid sublimius dici potuit ? Si nemo potest rapere de manu Patris tui, et idcirco nec de ipsius, quia ipse et Pater unum sunt, hoc est unius et patris deitatis. Quomodo vel qualiter se apertius Deum fateri poterat ? Senserunt hoc Judæi, et quod in verbis illius senserant, professi sunt. Nam primo quasi contra blasphemum sustulerunt lapides, ut lapidarent eum. Respondente vero Jesu : *Multa bona opera ostendi vobis a Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis ? (ibid.)* Responderunt : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia : et quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum (ibid.).* Non ergo intelliget fidelis Christianus, quod intelligere potuit blasphemus Judæus ? *Lapidamus, inquit, te, quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Non credebat quidem illi, imo credere abhorrebat ipsum esse Deum : tamen advertebant et sentiebant quod ipse se diceret Deum. Et quamvis tam clare se professus esset Deum, ut increduli illi verbis illis irritati ad eum lapidandum lapides sus tulissent, providens tamen illorum saluti, quos ex ipsis salvandos præsciebat, eorumque scandalo

A discrete medens, alteri quod ab æterno providerat tempori, et alteri se modo passionis servavit, hæc verbis quæ dixerat addens : *Nonne scriptum est in lege vestra : Ego dixi, dii estis ? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est : et non potest solvi Scriptura ; quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum ? (Ibid.)* Quid agis, lector ? Nonne vides quod jam saepè dixi ? Opposuit nubem non valentibus tantum ferre splendorem. Compescuit interim eos, et eorum insanum tumorem sedavit, præferringo quod agnoscebant, multos in sacra Scriptura per gratiam vocari filios Dei, et hoc velamine pro tempore texit, quod suo tempore tam ipsis quam mundo detexit, non adoptivum, sed naturalem esse Filium Dei. Et ne videretur timore negasse quod de veritate propriæ Deitatis supra professus fuerat, repetit et affirmat quod dixerat. Nam sequitur : *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia in me est Pater et ego in Patre (ibid.).* Ecce rursum opera tam Patris quam sua commendat. Ecce rursum eos ad vim eorum attendendam transmitit. Monet intente, ut ex operibus agnoscant auctorem, et, quia ea nullius esse poterant, nisi Dei, Deum esse qui talia operatur, advertant. Non decet autem te, qui hoc legis, obliisci propositi hujus, imo oportet ut firmiter teneas proposuisse me ex ipsis Salvatoris verbis, ejus ostendere deitatem, causa illorum qui dixerant, vel dicere possent nusquam eum in Evangelii se sine tegmine, sine involucris Deum vocasse. Non nego quidem eum aliquando verba sua veræ deitati suæ attestantia rationabiliter tegmine, causis quas præmisi, velasse. Sed dico eum tegmen illud, quo quandoque verba illa sua velare videtur, non oculis Christianorum, si bene attendunt, sed Judæorum ; non fidelium, sed infidelium visibus prætendisse.

Utroque ergo modo, id est aut quando ea dispensative legit aut quando ea sine tegmine profert, credendum est, intelligendum est universorum prævidisse saluti. Illis, ut dictum est, providendo ne de intempestiva luce magis tenebrosi fierent ; istis D aperte monstrando quid de eo sentire deberent. Inde est et illud, quod veniens in partes Cæsareæ Philippi interrogabat discipulos suos dicens : *Quem dicunt homines esse Filium hominis ? (Matth. xvi.)* Ad quam ejus interrogacionem discipuli alii responderunt, quid de eo homines opinarentur. Ipso vero instantे, et non aliorum opinionem, sed eorum confessionem exigente, respondit Petrus quod orbis terrarum notissimum est. *Te, ait juxta unum evangelistarum, dicimus Christum Dei (Luc. ix) ;* juxta alium, *tū es Christus Filius Dei vivi (Matth. xvi).* Cujus tali professioni quid responderit, quanta fidem illam ac verba fidei illius laude prosecutus est, quis ignorat ? Non dixit tamen : Verum est quod credis, verum est quod consideris, quia ego vere, ut dicas,

Filius Dei vivi sum. Nunquid ergo minus aliquid dixit, nunquid aliquo hic verborum tegmine usus est, quando subjunxit : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in caelis* (*ibid.*). Quis hebes aut obtusi animi homo dicere potest minus aliquid dixisse Christum, quando confessorem illum ejusdem confessionis causa beatum dixit, quando istud eum non accepisse a carne et sanguine, sed a Patre cœlesti affirmavit, quam si dixisset : *Ego sum Christus Filius Dei vivi?* Quid et de verbis sequentibus? Nonne et quando addidit? *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; ei portæ inferi non prævalebunt adversuseam* (*ibid.*), quando tanto præconio professionem illam extulit, quando super hanc ædificaturum se Ecclesiam suam prædictum, nonne veræ dei-tati suæ idem testimonium tulit, quale ferret, si dixisset : *Sum vere Christus Filius Dei vivi?* Non ergo dicatur obscurum quod absque involucris aut tegmine, etiam tardissimis mentibus perspicuum est. Confessus est enim et hic aperte se Dei Filium. Et quia Dei Filium, cogente auctoritate ac ratione præmissa, etiam Deum. Nec enim poterat ille, qui non ex gratia, sed ex ipsa deitatis substantia, ut jam dixi, erat Filius Dei, esse aliud quam Deus.

Jam, ut ad alia istis similia celer transitus fiat, veniat Samaritana mulier, et quid inter verba tanta, tamque mystica, quæ fatigatus ex itinere, et sedens super fontem, cum ea contulit, de se professus fuerit, subdatur. Hinc enim omnis nebulosa caligo recedit: hic absque tegmine quid de se sentiat, aut nos sentire doceat, profert. Nam dilecente muliere : *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus, et cum venerit, ille annuntiabit omnia* (*Joan. iv.*): subjunxit ille : *Ego sum, qui loquor tecum* (*ibid.*). Quid ultra, inquam, quæreretur? Dixerat illa : *Messias venit, qui dicitur Christus,* statim ille : *Ego sum, qui loquor tecum, Christum igitur se esse Christus confessus est.* Et quia Christum, plane, juxta præmissa, et Dei Filium et Deum. Accedat et ille famosus cæcus, et a nativitate cæcus. Reddi sunt ei imo magis dati a Christo oculi, quos natura negaverat, modo illo omnibus nota. Hic post datum lumen corporeum, adæcta gratia etiam confessor factus, ut sacra historia loquitur, projectus est foras. Et sequitur Evangelium : *Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras, et cum invenerisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei?* (*Joan. ix.*) At ille more suo cautus, et ratione ducente providus, illi, cum qua loquebatur, æternæ Sapientiae non insipiente respondit : *Quis est, Domine, ut credam in eum?* (*Ibid.*) Qui mox audiremeruit : *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est* (*ibid.*). Ecce plane responsio absque velamine. Qui hoc velatum credit, quid relatum putabit? Qui loquitur, inquit, *tecum ipse est* (*ibid.*) : *Quis est?* Utique Filius Dei, de quo illum interrogaverat, quando dixit : *Tu credis in Filium Dei?* Ecce iterum se Christus Filium Dei professus est nude,

A clare, absque involucris, absque velamine. Hæc ille ante cæcus, tunc videns agnovit, et post lumen corporis addito lumine mentis, respondit : *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum* (*ibid.*). Quis ergo non videat quod cæcus jam videns vidit? Quis non agnoscat quod agnovit? Agnovit Dei Filium, agnovit et Deum. Nam nec aliter in eum crederet, nisi Deum sentiret; nec quod solummodo insigne divini cultus est, eum procidens adoraret. Nec illud mente excidat, quod dicente alibi ipso : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan. v.*); subdit evangelista : *Propterea, inquit, magis quærebant Judæi eum interficeré, quia non solum solvebat Sabbathum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (*ibid.*). Hinc Pater Augustinus (*Tract. 16 in Joan. c. 5*) : *Ecce intelligunt Judæi quod non intelligunt Ariani. Ariani quippe inæqualem Patri Filium dicunt, et inde hæresis pulsa de Ecclesia. Ecce ipsi cœci, ipsi imperfectores Christi intellexerunt tamen verba Christi. Non eum intellexerunt Christum, nec eum intellexerunt Filium Dei, sed tamen intellexerunt in illis verbis quia talis commendaretur Filius Dei, qui æqualis esset Deo.* Ecce, juxta verba Evangelii, ecce juxta verba Augustini, ipsis etiam Judæis advertentibus, et propter hoc interficere eum quærentibus, Christus Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Non alter hoc dicebat de ipso; sed ipse hoc affirmabat de seipso. Quid? Quod Patrem Deum haberet, quod æqualis esset Deo. His quiddam simile, et in alio loco. Nam dicens ipso Judæis : *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris* (*Joan. viii*); illisque respondentibus : *Tu quis es?* (*ibid.*) ait : *Principium, qui et loquor vobis* (*ibid.*). Et quædam sequentia. Quibus verbis addit evangelista verba sua : *Et non cognoverunt, inquit, quia Patrem eis dicebat Deum* (*ibid.*). Inde consequenter et se Dei Filium, et, juxta supra-scriptas rationes, etiam Deum.

Accedant istis æque grandia, aut forte majora. Ait quodam in loco, disputans cum Judæis : *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis: Quia Deus noster est: et non cognovistis eum. Ego autem novi eum* (*Joan. viii*). Ecce hic non solum Patrem suum Deum esse dicit; sed etiam quis Deus sit, ostendit. Sunt enim, sicut ait magnus Apostolus, vel falsos deos gentium, vel magnos et sanctos homines intelligentes, aut utrumque simul proferens, dii multi, et domini multi (*I Cor. viii*), de quibus et Psalmus : *Deus deorum Dominus locutus est* (*Psalm. xlix*); et : *Deus stetit in synagoga deorum* (*Psalm. lxxxi*); et : *Quoniam Dominus, excelsus, terribilis, rex magnus super omnes deos* (*Psalm. xlvi*), et multa inscripturis similia. A quorum numero Deum illum, quem Patrem suum nominat, excipit, quando Judæis de illo dicit : *Quem vos dicitis: Quia Deus noster est.* Deus enim Judæorum, ab omnibus qui tunc erant vel sicubi adhuc esse possunt, excipitur

gii gentium, vel terrarum. Omnes, enim inquit Iudeus Propheta, *dii gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit (Psal. xciv).* Et in alio psalmo: *Deus noster, Deus salvos faciendi, et Domini, Domini exitus mortis (Isa. lxvii).* Et nunc, Domine, *plastes noster es tu, nos vero lutum; et factus noster, et opera manuum tuarum omnes nos (Isa. lxix).* Et versus interposito: *Ecce respice, populus tuus omnes nos (ibid.).* Et Elias: *Domine, ait, Deus Abraham, et Isaac et Israel. Ego servus tuus, et juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc (III Reg. xviii).* Et idem idololatræ regi: *Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo posses interrogare sermonem, idcirco de lecto, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris (IV Reg. i).* Et Jeremias Domino dicenti: *Prophetam in gentibus dedi te,* ait: *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum (Jer. i).* Istis et aliis innumeris Scripturarum testimoniis, ostenditur quod solus ille Judæorum Deus verus, et solus Deus sit, de quo Christus, ut dictum est, Judæis loquitur: *Quem vos dicitis: Quia Deus noster est.* Illic plane, qui tunc dicebatur Deus Judæorum, qui et tunc et nunc dicitur, et est Deus universorum; Christus Patrem suum hic nominat, seque sic loquendo ejus Filium declarat. Sed tene, lector, constanti memoria, quod saepe jam præmisi, quia quoties Salvator se in Evangelii Christum vocat, aut consenserunt sententias laudat, toties se Dei Filium et Deum clamat. Sic et quoties se Dei Filium dicit, toties nos, quod Christus et Deus sit, instruit. Christus enim necessaria ratione Dei Filius est, quia ab illo Dei Filio humana caro suscepta est: et rursum Dei Filius Deus est, quia, ut dixi, ex Patre, qui Deus erat, natus est. Quia veritatis copula id te sentire volo, toties se Christum professum esse Deum, quoties se professus est aut Christum, aut Filium Dei. Hoc modo, hac de causa, eum sic se nominasse, Deum intellige, quando, ut præmissum est, Judæis dixit: *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis: Quia Deus noster est.* Vigilo enim contra illos qui dicunt vel sentiunt Christum quidem esse Deum, sed nusquam in Evangelii se clare professum Deum. Jam illud quod paulo post subdit, quia non dissimile est, advertendum est. Nescio enim si clarius alicubi veritatem deitatis suæ Christus commendaverit, quam cum altercantibus contra eum Judæis, postea quæ præmissa sunt, paucis verbis intersertis, adjunxit: *Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum; et vidit, et gavisus est (Joan. viii).* Commotis vero ad ista Judæis, et dissentibus: *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? (ibid.)* nil moratus adjunxit: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum (ibid.).* Quid verius, quid clarius, quid ad probandum veram ejus divinitatem apertius? Quinquaginta annos, imo nec quadraginta adhuc habebat, et ante Abraham se dicebat. Quis autem universo-

A rum hominum, qui post Abraham nati sunt, ante Abraham esse potuit? Utique nullus. Nam nec corpora humana, quæ post Abraham nata sunt, ante Abraham fuere, nec animæ corporibus mistæ, quæ post Abraham creatæ sunt, ante Abraham esse ratione aliqua potuerunt. Sed nec caro ipsius Christi, nec anima illa carni admista ante Abraham esse potuit. Si igitur, nec corpus, vel anima cuiuslibet hominis post Abraham exorti, nec caro vel anima ipsius Christi post Abraham nati, ante Abraham esse potuit, quomodo verum esse censembitur quod Veritas tam robusto pronuntiandi modo affirmat: *Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum?* Unde, quia non Judæis, ut ipse tunc, sed Christianis nunc loquor, luce clarus est quod nec carne, nec anima Christus ante Abraham fuit, sed deitate: qua sola vere non solum ante Abraham, sed et ante omnem creaturam est. Illa est enim illa Dei Sapientia quæ loquitur: *Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret (Prov. viii).*

B Dico autem hoc, salvo intellectu illo, quo juxta Hieronymum, tempus non præjudicavit sacramento uniti hominis ac Dei, ita ut jam esset in illo per unitatem personæ ab initio sæculi, qui neicum natus erat de Maria virgine. Non tamen antequam nasceretur de Maria virgine, aut conciperetur in Maria virgine, Dei Filius substantialiter homo erat, sed quadam ineffabili sacramenti unitate, etiam ab æterno Deus simul, et homo erat. Quod quibusdam verbis de eadem re interpositis, idem doctor affirmit. « Non quod jam, ait, esset Jesus, aut Christus natus ex Maria, sed quia in illo unico Filio Dei, jam unitas personæ commendabatur, quæ occulta erat in mysterio. Ergo juxta præcedentia, non tibi videtur idem dixisse Christum, quando dixit: *Antequam Abraham fieret, ego sum, quod diceret, si dixisset, Deus ego sum?* » Plane nihil aliud, prorsus nihil aliud. Nam si, ut longe ante præmisi, hoc ita nude dixisset, sicut olim ante hominem susceptum Moysi et quibusdam aliis dixit: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob (Exod. iii);* si hoc, inquam, absque aliquo verborum temperamento dixisset, quis illorum hominum ferre potuisset? Longe enim tunc patientius ferre poterant invisibilem, aut de supernis, aut de quibuslibet aliis locis mirabiliter intonantem: *Ego sum Deus, aut patrum vestrorum, aut cœli et terræ, aut similium, quam hominem visibilem humiliiter, inter superbos homines commorantem, si more illo se Deum diceret, si modo illo deitatem suam, hominibus id capere non valentibus, absque congruo verborum tegmine declararet, imo ut congruentius dicam, fastidientibus cibum vitæ ingereret.* Et si ergo verba congruenter temperavit, nunquid idecirco se Deum minus dixit, qui ante Abraham se esse asseruit? Scrutentur ergo qui de his dubitant, scrutentur, inquam, studiosius Scripturas, et tam in his, quæ posui, quam in pleris-

que, quæ conticui, invenient Salvatorem frequenter se Christum dixisse, Dei Filium pronuntiasse; et unde omnia ista orta sunt, se modis, quos præfatus sum, Deum lucide prædicasse. Nonne se lucide Deum pronuntiavit, quando Lazarum resuscitatus, Marthæ dissuadenti ne lapis a sepulcro tolleretur, dixit: *Nonne dixi tibi quia si credideris, videbis gloriam Dei?* (Joan. II.) Nonne et prius se clare Deum pronuntiaverat, quando sororibus ipsius Lazari per nuntios dicentibus: *Domine, ecce quem amas infirmatur,* respondit: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam?* (Ibid.) Nonne se clare Deum pronuntiavit, quando sublevatis oculis in cœlum: *Pater, dixit, sicut dedisti ei, loquens de seipso, potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam* (Joan. XVII). Nam nec potestas omnis carnis, nisi ad Deum pertinet, nec ad quemlibet dare vitam æternam, nisi ad Deum pertinet. Quæ potestas sit ei data a Patre, aut secundum deitatem gignendo, aut juxta humanitatem, quam assumpserat, conferendo, non potest esse, nisi Deus, qui potestatem hanc obtinet, non potest esse nisi Deus, qui eis, qui sibi dati sunt, vitam largitur æternam. Quid et de sequentibus verbis dicam? *Hæc est, inquit, vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum. Ut cognoscant, ait, te, et quem misisti Iesum Christum, solum verum Deum* (ibid.). Quid clarius Joannes ejus apostolus in Epistola sua scribit de ipso, quam hic ipse loquitur de seipso? *Scimus, ait, quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus Deum verum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna* (I Joan. V).

Quid ultra quæretur? Cur jam verbis istis auditis disputabitur? Se ac Patrem solum verum Deum dicit, se ac Patrem solum verum Deum esse affirmat, se ac Patrem solum verum Deum, non silentio, non in aurem, sed coram universis, qui sacrae et ultimæ, quandiu mortalibus fuit, cœnæ intererant, pronuntiat. Quid et de versu prope posito dicetur, *Et nunc clarificā me, tu Pater, apud temet ipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te?* (Joan. XVII.) Claritatem autem apud Patrem, priusquam mundus esset, habere non posset, juxta quod homo est. Nam priusquam mundus esset, homo non erat; non ergo juxta hominem, qui non erat, claritatem apud Patrem habere poterat. Restat igitur, ut juxta quod Deus erat, claritatem illam habuerit, quia, ut dictum est, juxta hominem habere non potuit. Quid ergo hæc verba, *Antequam mundus esset, eum esse indicant?* Utique Deum claram. Agnosce ergo et hinc eum esse Deum; de quo constat quod priusquam mundus esset, erat apud Deum. Nec resilire ab hoc sensu illo alio intellectu conceris, quo legitur clarificatum Filium a Patre priusquam mundus esset, hoc est præordinatum et prædestinatum, ut suo tempore, hoc est,

A post hominem susceptum glorificaretur et exaltatur illa clarificatione de qua Apostolus loquitur: *Dedit illi Deus nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et inferorum* (Philipp. II). Quæ licet in tempore facta fuerit, tamen propter prædestinationem, qua necesse erat illud contingere, quod prædestinatum erat, priusquam mundus fieret, claritatem illam, quæ nondum erat, sed futura erat, habuisse dicitur, habuisse scribitur. Sed non propter hunc intellectum sensus prior excluderetur, quia Christus, priusquam mundus esset, et apud Patrem erat, et Deus erat. Nonne ista sufficiunt, quæ dicta sunt? Nonne et clare et frequenter se Deum pronuntiat? Nonne et clare et frequenter, B sicut hominem et adhuc mortalem inter mortales constitutum decuit, veritatem deitatis propriæ, et singulis, et pluribus, et omnibus, et discipulis, et turbis, et ipsis præcipue invidis, et semper sibi detrahentibus Pharisæis fatetur? Hæc universa, non propheta, non Apostolus, non quilibet alias de ipso, sed ipse, hoc est ipsum Verbum Dei, ipse Christus, ipse Dei Filius, ipse Deus de seipso dicit, de seipso pronuntiat, de seipso affirms. Evigilent ergo, et clarius solito in lucem invisibilem desigant oculos, qui forte minus diligenter attentes, minusque evangelica secreta rimantes, nusquam Christum aperte et absque involucris se Deum pronuntiasse dicebant. Quibus ad probandum quod non ita est, forte quæ dicta sunt, sufficiunt. Sed audiunt adhuc ipsum loquentem, et discipulis in coena jam dicta dicentem: *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum? et in me credite* (Joan. XIV). Audiant hinc, non jam meam sententiam, sed sensum, imo verba ipsius beati Patris Augustini: (Tract. 68 in Joan., c. 14): *Ne mortem, ait ille, tanquam homines timerent, et ideo turbarentur, consolatur eos, et Deum se esse contestans. » Creditis, inquit, in Deum? et in me credite. » Consequens est enim ut, si in Deum creditis, et in me credere debeatis. Quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. Creditis in Deum, et in eum credite, cui natura est, non rapina, esse æqualem Deo* (Philipp. II). Quod, hoc est, iutrum et Deus esset et æqualis Deo, D doceat rursus et ipse in ipsa jam positus passione: *Adjuro te, ait princeps sacerdotum, per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei.* Respondit enim, juxta Matthæum: *Tu dixisti* (Matth. II); juxta Lucam: *Si vobis dixeris, non credetis mihi. Si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis* (Luc. XXII). Juxta Marcum vero, quem idecirco ultimum posui, quia clarius ejus responsionem exprimit, respondit: *Ego sum* (Marc. XV). Et sequitur, juxta Matthæum: *Vérumtamen dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis, et venientem in nubibus cœli;* juxta Marcum, nulla etiam dictione mutata, ita: *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli;* juxta Lucam vero, ita:

Ex hoc erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. Cum ergo audias quod interrogatione pontificis per Deum adjuratus ut diceret si ipse esset Christus Filius Dei, juxta duos evangelistas non negaverit, juxta tertium aperte se Christum et Filium Dei responderit, dicens : *Ego sum, quid dices?* Nonne etsi omnia alia, quae præmisi, testimonia vel exempla, quibus ipse et Christum, et Dei Filium, et Deum se esse professus est, deessent, nonne, inquam, istud sufficeret? nonne plenam tibi quam quibuslibet aliis inde forte dubitantibus satisfaceret? Nam hoc, ut nosti, quærebas, hoc exigebas, ubi se in Evangelii Christum dieceret, ubi se Dei Filium, et maxime Deum nominaret. Eccé audis eum principi sacerdotum, si ipse esset Christus Dei Filius interroganti, non per involucra, sed aperte et sine tegmine respondentem : *Ego sum.* Qui ergo se Christum et Dei Filium esse respondit, utique simul et Deum se professus est. Nam, sicut sæpe supra dixi, quod idcirco toties itero, ne longa disputatione mentem fugiat, non potuit se confiteri Christum aut Dei Filium, quin confiteretur et Deum. Qua ratione istud supra dictum est. Jam postquam dixit : *Ego sum, quibus statim verbis se Deum esse confirmet, attende.* *Videbitis, ait, Filium hominis a dextris sedentem virtutis, et venientem in nubibus cœli.*

Quid evidentius maximi apostoli, Petrus et Paulus, deitatem ejus prædicantes, scribunt in Epistolis suis de ipso, quam ipse hic loquitur de seipso? Quorum prior : *Per resurrectionem, ait, Jesu Christi qui est in dextera Dei (I Pet. i);* et sequens : *Christus Jesus qui mortuus est, imo qui resurrexit, qui est in dextera Dei (Rom. viii).* Idem et Marcus : *Et Dominus, inquit, Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei (Marc. xvi).* Nonne isti in his verbis idem dixerunt quod ipse, quando ait : *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis, et videbitis in nubibus cœli?* Ecce quod sæpe, ut dixi, certis de causis ante vitaverat, jam scandalum Judæorum non vitat; sed magis, ut de passione ejus impleant, quod ante conceperant, veræ deitati suæ verax testimonium ferens, quodammodo instigat. Jam enim hora illa venerat de qua, priusquam caperetur et ligaretur, dixerat : *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum (Luc. xxii).* Unde jam nihil dissimulandum censebat, nil veritatis occultandum judicabat : qui post noctem illam die sequenti crucifigendus et moriturus, rem, propter quam in mundum venerat, instanter adimplere satagebat. De qua eadem die judicii Pilato assistens, ait : *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati (Joan. xviii).* Veritati ergo testimonium perhibuit, quando, quod dictum est, dixit. *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis, et venientem in nubibus cœli.* A dextris autem virtutis sedere, cujus est, nisi Dei? Venire in nubibus cœli, et hoc in mundi fine, sicut alibi legitur, cum virtute

A magna et majestate (Matth. xxiv) : cujus est, nisi Dei? Deus ergo est qui sedet a dextris virtutis, Deus est qui venturus est in nubibus cœli cum virtute magna et majestate. De qua virtute ac majestate, in qua venturus est judicare vivos et mortuos, dicit et ipse alibi : *Neque enim Pater judicat quemquam; sed judicium omne dedit Filio (Joan. v).* Quibus dictis subdit causam dati sibi judicii : *Ut omnes, ait, honorificant Filium, sicut honorificant Patrem (ibid.).* Honorificandus est enim Dei Filius, sicut Pater honorificatur, quia præter humanam substantiam, qua homo est, idem est quod Deus est. Pater enim Deus est, unde et Dei Filius Deus est, quod Pater est. Ergo omnes honorificant Filium, sicut honorificant Patrem, id est credant, intelligent, et fateantur eum Deum sicut et Patrem. Hæc universa, quibus verum Deum se esse professus est, dicit Christus de seipso, non quilibet alter de ipso. Post ista omnia, quæ, dum adhuc mortalis esset, de seipso protulit, et quibus se vere Deum esse docuit, succeedant et alia, quibus, jam vicem morte factus immortalis, eamdem quam prius, et sicut prius, suam deitatem commendat, seque verum Deum esse confirmat. Intrans enim ipsa suæ resurrectionis die ad discipulos januis clausis, post genuinam pacis annuntiationem, qua bis eis dixerat : *Pax vobis (Joan. xx), insuflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum (ibid.).* Accipere autem Spiritum sanctum illi non poterant, nisi ab eo datur. Dedit autem quando dixit, *Accipite.* Dare vero ille non posset, nisi Deus esset. Spiritus enim sanctus Deus est, nec dari nisi a Deo potest. Unde sequitur, quia ille a quo dari potuit, Deus est. Deum ergo se esse docuit, quando ut dictum est, discipulis dixit : *Accipite Spiritum sanctum.* Quem, sicut ipsa, ut dixi, resurrectionis suæ die, adhuc inter eos positus dedit, ita die Pentecostes, hoc est quinquagesimo a resurrectione, jam in ipso altissimo deitatis solio constitutus, longe solemnius et profusius, ut promiserat, misit. Promiserat autem quando in sermone sacræ cœnæ, de quo quædam supra excerpti, eisdem discipulis ait : *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis (Joan. xv), et sequentia.*

D Quando ergo cum se missurum promisit, quia nil Veritas fallaciter promittere potuit, Deum se esse, qui Deum se mittere prohibebat, professus est. Et quando eum in terris dedit, et quando de cœlis, ut dixerat, misit, Deum se testatus est. Quando vero et illud adjunxit : *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis (Joan. xx),* quomodo se apertius Deum profiteri potuit? Nam remittere peccata, vel dare potestatem quibuslibet remittendi peccata, non nisi solius Dei esse, non solum Christianus fatetur, sed et olim infidelis Judæus testatus est. Dicente enim Christo mulieri peccatricei : *Remittuntur tibi peccata (Luc. vii),* cœperunt quidam ex simul accubentibus, sicut evangelista testis est, dicere inter se ; *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?*

(Luc. vii.) Et alio loco, cum paralytico diceret: *Fili,* remittuntur tibi peccata (Marc. ii), dicebant quidam: *Hic blasphemat. Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* (Ibid.) Vere enim ab illo solo peccata remittuntur, contra quem solum peccata committuntur. Nam quomodo cunque deliquerо, in ipsum peccato qui peccare prohibuit; in ipsum delinquo, qui ne delinquerem, praecepit. Inde sunt et verba illa magni guidem justi, sed et magni aliquando peccatoris. Nam post quaedam gravia peccata, quae commiserat, poenitens sic Deo loquitur: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* (Psal. l). Sicut ergo ad solum Deum pertinet peccata quae inhibuit punire, sic ad ipsum solum spectat, tam peccata quam poenam peccatorum remittere. Quando ergo ait peccatrici, aut paralytico: *Remittuntur B tibi peccata,* se vere Deum esse perhibuit. Quando eliam (quod magus est), eamdem remittendi peccata potentiam hominibus contulit, multo magis se Deum esse docuit. Idem quoque eadem die Paschae, qua resurrexerat, post illa quae dicta juxta Lucae Evangelium, eisdem discipulis dixit: *Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertia, et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma* (Luc. xxiv).

Poenitentia enim et remissio peccatorum veraciter in nomine ejus praeedicari non posset, nisi ille, in cuius nomine praedicabatur, Deus esset, quia non nisi in nomine Dei peccatorum remissio conferri peccatoribus potuisset.

Quid dicam et de verbis illis tam solemnibus, tam praecclare illius deitatem commendantibus, in quibus Matthaeus suum finit Evangelium, et in quibus ego proposui finire sermonem istum? Undecim, ait, discipuli abierunt in Galilaeam, in montem ubi constituerat illis Jesus, et videntes eum adoraverunt. Qui-dam autem dubitaverunt (Matth. xvi). Hac enim ipsius post resurrectionem revelatio, singulari quadam gloria inter alias splendidius fulget, quia nulla aliarum, ut ista, ab ipso praedicta legitur. Dixerat quidem ipse adhuc passurus, discipulis: *Vado, et venio ad vos* (Joan. xiv). Et rursum: *Iterum autem videbo vos* (Joan. xvi). Sed nullam illarum visionum, praeter istam, singulariter praedixerat, nullam specialiter designaverat. De hac vero in ipsa jam pene passione constitutus, Zachariæ prophetæ usus testimonio (Zach. xiii), ait: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam* (Marc. xiv). Hoc idem angelus cum maximo terramoto de caelo descendens, mulieribus quae ad sepulcrum venerant, dixit: *Cito euntes dicite discipulis ejus quia surrexit, et ecce præcedit vos in Galilaeam. Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis* (Matth. xxviii). In hac ergo singulari visione illis undecim discipulis in monte apparenс, ita locutus est: *Data est mihi omnis potestas, in caelo et in terra* (ibid.). Audis? Quid clarius mihi, quid tibi, quid mundo dicere potuit, unde veræ suæ

A deitati testimonium daret, unde se Deum esse probaret? *Data est mihi*, ait, *omnis potestas in caelo et in terra.* Cujus vox haec esse potest, nisi illius de quo legitur: *Omnia quæcumque voluit fecit Dominus in caelo et in terra* (Psal. cxxxiv). Quis enim potestatem habere potest in caelo et in terra, nisi Deus? Quis quæcumque facere voluit facere potuit in caelo et in terra, nisi Deus? Quod si te forte movet, quod dicit sibi datam esse hanc potestatem, quæso, non moveat, quia certa est causa qua te istud movere non debet. Si enim hoc, juxta quod Deus est, sentire volueris, potestas haec ei data est, quando a Patre Deo æternaliter genitus est. Si vero hoc, juxta quod homo est, hic accipere malueris, quod forte hic propensius sentiendum est, intellige hanc potestatem homini datam causa ineffabilis unitonis illius, qua deitate simul et humanitate in unam Christi personam conveniente, sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. De qua potestate homini illi data, habes Patris verba in psalmo loquentis ad filium: *Postula a me et dabo tibi et gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (Psal. ii), juxta hoc donum a Deo homini datum dicere Christus potuit: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* Elige ergo quod mavis. Nihil enim eligere poteris, quod idem non sonet. Nam aut secundum deitatem æternaliter, aut secundum humanitatem temporaliter data est Christo omnis potestas in caelo et in terra. Quolibet ergo ex his modo sibi potestatem in caelo et in terra datam dicat, Deum se factetur, Deum se prædicat. Et quid sequitur? *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. xxviii). Hoe splendore quid clarius?

Miror ego et saepe, multumque miratus sum antiquos haereticos Arianos hoc non sensisse, hunc tam clarum veritatis splendorem cernere non potuisse. Hoc enim solum si spiritu Dei adjuti videre prævaluissent, omnes illas tam tetri erroris tenebras a suis omnino mentibus expulissent. Neque enim gradus illi, quos in Trinitatis unitate cœci illi homines faciebant, locum in cordibus eorum habere potuissent, si verba haec sapienter advertissent. Nam cum dicerent verum et summum Deum solum esse Patrem, minorem Patre Filium, minorem Filio Spiritum sanctum, imo creaturas Filium et Spiritum sanctum, non hoc crederent, non hoc dicerent, si in nomine cujuslibet creaturæ salutis humanæ summam constare non posse adverterent. Quando enim creatura creaturam salvat? quando a morte eripit? quando vitæ, maxime æternæ, restituit? *In Deo enim*, ait David, *faciemus virtutem* (Psal. lxi); et: *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* (Psal. lxii) et: *Deus noster, Deus salvos faciendi* (Psal. lxvii). Non advertebant miseri idololatras se factos, quando, juxta se, nomina creaturarum divino nomini adjungebant, et post Dei nomen in rerum creatarum nominibus homines baptizabant. Hoc faciebant, prave in-

telligendo quod dicitur est : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Sed quia in creaturæ nomine nefas est baptizare, restat ut Filius, sicut et Pater, Deus sentiatur; restat ut et Spiritus sanctus, sicut et Pater et Filius, Deus absque dubio advertatur. Tunc ergo Christus vel Dei Filius se vere Deum confessus est, quando sicut in nomine Patris, ita et Filii, hoc est sui ipsius, ac Spiritus sancti, omnes gentes baptizari præcepit, dicendo : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Jam illud, quod in ultimo additur : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth. xxviii*) ; non minus præecedentibus sententiis Deum ipsum declarat. Quomodo enim esse posset cum suis usque ad consummationem sæculi, postquam ad cœlos ascendit, postquam humanam substantiam usque ad paternum solium provexit, nisi Deus esset? Non enim ex quo ascendit, corpore cum discipulis fuit, quia carnis illa substantia ex sui natura eodem tempore diversis in locis esse non potuit. Quid ergo aliud restat, ut Veritatis verba veracia esse probentur, nisi hoc, ut quia secundum

A quod homo est, esse non potuit, juxta quod Deus est cum discipulis suis usque ad consummationem sæculi fuerit? Verum ergo Deum, sicut ante adhuc passurus, sic jam ultra non moriturus se prædicavit, quando discipulis dixit : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Nunc, charissime, et cui jam a longo tempore adhæsi, unanimis frater, epistolam hanc, quam tibi quidem, sed allorum gratia misi, suo tempore fratribus, quos de his, quæ præmissa sunt, dubitare audieras, ede, et quod Christus non solum verus Deus sit, quod illis clarum est, sed et quod verum se Deum sæpius professus fuerit, opportune suade. Hæc enim sola mihi fuit causa istud scribendi, non ut illos instruerem Christum verum Deum esse, quod necesse non habent; sed ut illis ostenderem se frequenter in Evangelio multis modis, diversis locis et temporibus se vere Deum professum, unde eos dixisse audieram, quod nusquam hoc absque involucris et tegmine legere potuissent. Legant ergo et intelligent, scrutentur et videant Jesum Dominum modis illis, quos præmisi, frequenter se dixisse Christum, frequenter se vocasse Dei Filium, frequenter se pronuntiasse et Deum.

PETRI VENERABILIS

ABBATIS CLUNIENSIS NONI

TRACTATUS.

ADVERSUS JUDÆORUM INVETERATAM DURITIEM.

PROLOGUS.

Vos ego, vos, inquam, ego convenio, o Judæi, qui usque in hodiernum diem negatis Filium Dei. Quousque, miseri, veritati non creditis? Quousque Deo repugnatis? Quousque corda ferrea non emollitis? Ecce toto pene orbe jam ab antiquo Christum agnoscente, vos soli non agnoscitis, cunctis gentibus ei obtemperantibus, soli eum non auditis, omni lingua eum confitente, soli eum negatis, aliis eum videntibus, audiensibus, intelligentibus, vos soli cæci, surdi, lapidei permanetis. Cæci plane oculis, surdi auribus, lapidei cordibus. Nec novum istud apud vos est. Legit hoc ubique mundus, et frequenti lectione recitat : *Deum Moysi de vobis dicentem : « Cerno quod populus iste duræ cervicis sit. Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos : et deleam eos* (*Exod. xxxii*). » Itemque vobis : « *Populus duræ cervicis es. Semel descendam in medio tui ; et delabo te* (*Exod. xxxiii*). » Legit rursum Moysen vestrum, imo nostrum, sic vos arguentem : « *Novi, ait ille vobis, contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me, et*

C ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum. Quanto magis cum mortuus fuero! (Deut. xxxi.) Legit et singularis excellentiæ Isaiam prophetam, cui Deus de vobis : « *Exæcta, inquit, corpus hujus, et aures ejus agrava, et oculos ejus clade, ne forte videat oculis, et auribus audiat, et corde intelligat, et convertatur, et sanem eum* (*Isa. vi*). » Legit et audit Stephanum suum, quem vestri, o saxea gens, lapides primum post Christum testem Christi fecerunt (*Act. vii*). Legit certe, et audit cum plenum Spiritu sancto, obstinationis nequissimæ in vobis spiritum increpantem : « *Vos incircumcisi cordibus et auribus, vos proditores et homicidæ, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut et patres vestri* (*ibid.*). » *Sed nunquid hoc semper?* Nunquid semper, hoc tantæ duritiae merito, universo orbi terrarum ostentui vos facietis? Resipiscite, resipiscite nunc, tandem redite, ut ait alter propheta vobis, o prævaricatores, ad cor (*Isai. xlvi*). Redite ad cor, nunc saltem, quando justo Altissimi judicio, non solum a cœlesti, sed etiam a terrena, quam solam sem-